

[fol. 87r.] Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium Domini Domini
Gratiosissimi Colendissimi!

Gratiosum Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii una cum advoluta oppidi Szentes incolarum Helveticae Confessioni addictorum pro concedenda oratorii ex solidis materialibus exstructione supplicantium instantiae copia intimatum de dato 22^{dae} elapsi mensis Maii debito cum venerationis cultu percepi, quo mediante gratiose mihi demandare dignabatur. Idem Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium, ut, quandonam praehabitu oratorium exstructum habeatur, a quo tempore exercitium ibidem vigeat, quibusve sumptibus, an non fundum contributionalem laesuri novi structura intendatur, investigarem, desuperque, prouti et super legalitate ipsius exercitii qualiter comperta, genuinam et circumstantialiorem informationem meam submitterem. Quemadmodum autem ex eo, quod memoratum oppidum Szentes nec in Dioecesi mea, nec curae, et moderationi meae concredito comitatu situm sit, adeoque in illud nulla omnino iurisdictio mihi competat, non i[m]merito conjicio, Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium hac forte erronea opinione: Quasi oppidum Szentes in mea et non Vaciensi Dioecesi existeret, ad supra attactam investigationem mihi demandandam inductum fuisse. Hinc emanatum hac in parte ad me gratiosum mandatum ob allegatam defficientis nimirum iurisdictiois causam humillime deprecandum duxi, nisi forte ratione vicinitatis Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium me pro Co[m]missario eatenus specialiter deputare dignaretur. Quamobrem dum hoc in passu ulterius gratiosum mandatum humillime praestolor (illud solu[m]modo hic silentio praeterire haud volui: Me videlicet, si oratorium accolarum Helveticae Confessioni addictorum, quos in oppido meo Mako habeo, desolatum fuisset, vigore Benignae Resolutionis Regiae circa loca non Articulaia eatenus emanatae in ejusdem exstructionem ne ex crudis quidem, multo minus solidis materialibus pro parte mea esse censurum). Qui de reliquo sub humillima mei co[m]mendatione persevero.

Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii

Temesvárini
die 10^{ma} Junii 1760.

Servus humillimus Com[es] Ant[onius] Engl Ep[isco]pus Csanád[ien]sis m[anu]
p[ro]p[ria]

[fol. 87v.][üres lap]

[fol. 88v.] 10. Junii Szent[es]
21 Junii 1760.
23 [...] [...]
1760.

Episcopus Csanádiensis ad intimatum 22^{ae} Maii, circa oratorium oppidi Szentes reparari petitum expeditum respondet oppidum illud in Dioecesi Váciensi existere, una informando si Makóiense acatholicorum oratorium destructum fuerit, ob non articulare[m] locu[m] illius repara[ti]onem nec ex crudis materialibus se admissurum.